Dissertatio Medica

de

Acrotismo, sive Pulsuum defectu,

quam,

Consent. Ordine Medico Lundensi,

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ord.

Pro Gradu Doctoris

p. p.

THEOD. WILH. DARIN,

Med. Licent.

Die XXII Junii MDCCCXLI.

h. a. et p. merid. solit.

LUNDÆ,

typis excudit Carolus Fr. Berling,

Universitatis Typographus,

MDCCCXLI.

De Acrotismo.

Motum cordis et, qui ex eo pendent, arteriarum ictus, aliqnando quiescere et tactum fugere, persistentibus reliquis vitæ functionibus, rariores observationes docuerunt; et quoniam asphyxiæ nomine mortem apparentem exprimere usu receptum sit, hanc anomaliam *acrotismum*, qui uno verbo pulsuum defectum reddit, dicere placuit *); eam enim inter utrumque intercedere differentiam constat, ut in asphyxia vita quiescat, in acrotismo, pulsu excepto, sua munia servet.

Cum Acrotismus organicis cordis et systematis vasculosi vitiis originem suam plerumque debeat, præter pulsuum defectum, in quo singularis hæc anomalia vel maxime versatur, eadem generatim, quæ hæc, eum exprimunt et sequuntur signa: debilitas, dyspnœa, epigastrii dolor, anxietas, frigus, livedo, auræ fames, suffocationis impetus, animi deliquia; singula a læsa cordis functione atque mu-

*) Novum, quantum novimus nomen, atque satis aptum. Cfr. *J. M. Good* das Studium der Medizin.

tua et alterna, qua cor et pulmones continentur ratione, interpretanda *). Horum gravissimum tandemque funestum est deliquium animi, quod per intervalla invadit, in primis cum se vel leviter erigere aut in latus vertere conatur correptus, ob collapsum cerebri, sangvinis affluxu his motibus privati; quoniam infirmata et langvescente cordis actione, fere ad gravitatis leges occulte et debilis delabitur sangvinis unda, organico suoque ipsius interiori et vitali nisu motus; nam fluidum vivum in corpore vivo quiescere necsit, cum quies sit mortis, motus vitæ principium. Auxiliis itaque circulationis mechanicis prope feriatis, præter vitalitatem sangvinis, ad vires organicas, singulis partibus totoque corpori insitas, natura refugium habet; nam ultima ratio tam circulationis, quam ipsius vitæ, in viribus posita est, quæ vitalem processum regunt et sangvinis circulum ad singulas partes pro rata parte et conditione alliciunt, vehunt et cogunt, atque hominem, jam ex intimis præcordiis adgressum, spiritum ducere sinunt. Omne corpus organicum sua media complectitur et finem.

Neque tamen ex fuga pulsuum cor motu carere, vel sangvinis circulum penitus cessare, credere fas sit; ipsa asphyxia sine motu humorum esse nequit, donec in veram mortem abeat, corde sang-

---

*) Vim respirationis in circulationem tantam esse constat, ut pulsus radialis in multis hominibus cesset, animam comprimendo. Ob debilitatem cameræ cordis dextræ, quæ sese contrahendi facultate non gaudet, non satis sanguinis ad pulmones venit, nec satis oxygenio imbuitur, unde auræ fames et dyspnoea oriatur necesse sit.

vine obruto; qui vero motus tam debiles esse possunt, ut sensus omnino fugiant, nec ullo modo percipiantur.

Licet arteriæ, vi fabricæ suæ, irritabiles et elastice contractiles sint, atque a nervo sympathico, qui ipsi cordi prospicit, apparatu nervoso instructæ, adeoque ut idonei propagatores motus e corde exeuntis, fini fabricæ suæ respondeant, circulationi admodum subvenientes, spontaneo tamen motu gaudere non videntur *). Itaque cum sangvinis circulatio a corde incipiat, ut principale ejus instrumentum, quod se dilatando sangvinem e majoribus venarum truncis sorbendo hausit atque haustum, se contrahendo, expellit et in arterias cogit, quarum pulsationis caussa existit; caussam quoque acrotismi in corde quærendam esse patet, cujus functio, ut in excessu, ita in defectu, licet hoc rarius, a norma recedere potest. Si persequendo hujus laesæ functionis caussam internam vel proximam quæris, illa utique repeti debet ab affectione nervi sympathici, qui motui cordis præest, et vim suam non solum a cerebro et medulla spinali habet, sed etiam a complexu omnium organorum, quæ per nervos vasorum in partes hujus nervi centrales reagunt; unde explicari potest, cur morbus localis pulsum mutare valeat **).

---

*) *J. Müller*, Handbuch der Physiologie des Menschen.

**) Sunt, qui obstaculum circulationis in constrictione arteriarum spasmodica quærunt; quod vero si in minimis arteriis locum habeat, in majoribus, ut videtur, fieri nequit, quarum lumina majora sunt, quam quod eo usque constringi possint, ut cursum sangvinis occluderent, licet fibris muscularibus instructæ sint. Ab oppressa vel imminuta systematis ner-

Multo magis laborat explicatio, quomodo fieri possit, ut pulsuum defectus, qui in asphyxia continetur, ibique suspensionem habet omnium functionum, in acrotismo absque ejusmodi suspensione perduret, adeo ut, quemadmodum *Morgagni* bene habet, "ægri externis, internisque sensibus satis vigeant, loquantur commode, se de latere in latus convertant, quin, prompte se erigant; cur, cessante arteriarum motu, non continuo, ut in syncope, cessent motus et functiones partium cæterarum? qui fiat, ut in tanta motus sangvinis imminutione, ea possint ægri, quæ ante proposita sunt, nec pallor, frigus, hebetudo loquendi, edendi et se movendi impotentia continuo accesserint?" quare in asphyxia stupeant motus et sensus, in acrotismo, præter cordis, vigeant?

Utrumque malum in atonia cordis versatur et caussas excitantes communes habent, inter quas hæ præcipuæ sunt: animi pathemata deprimentia et motus systematis nervosi a gravibus vel inopinatis caussis excitati, quidam odores, sangvinis profluvia cito et large supervenientia, venena narcotica, miasmata et contagia, dolores feri et ventriculi irritatio *), obstacula circulationis varia, quibus sangvis in corde cumulatur et congeritur, atque singula quæ directe vel indirecte incitabilitatem cordis opprimunt vel exhauriunt. Neque tamen ubique caussa manifesta est. Quæ cum ita

---

vosi vel nervi sympathici vitalitate hæc circulationis anomalia, ut nobis videtur, optime explicari potest, licet ipsum modum ignoremus.

*) Quando dolores alicubi ferociunt, statim pulsus parvi fiunt et exiles; in stomachi morbis parvi quoque fiunt. *Bagliv.*

sint, a diversa caussarum agendi ratione et gradu, atque hominis correpti conditione pendere nobis videtur effectus, cujus explicationem nostris viribus esse majorem, ingenue fatemur. Nec de argumento tam abscondito aliquid scribere animus foret, nisi exquisita hujus mali, raro obvenientis, exempla nobis obvia bis fuerint:

Fœmina sex et viginti annos nata, ante dimidium, vel quod excurrebat, annum maritata, non gravida, corpore robusto, sic dicto quadrato, succo et sangvine satis plena, temperamento melancholico, mox ab initio hujus anni se male habuit, lectum servare coacta. Quæ circum erant mulieres, a frigore brachiorum et manuum forte monitæ ut pulsum tangerent, nullum percipiebant. Gravi spiritu premebatur, et levia etiam tum animi deliquia superveniebant. Nihil, præter domestica consilia et auxilia, in usum vocabatur; attamen post aliquot horas se melius habuit, respiratione et calore naturali sensim redeuntibus; ex quo vero tempore demissiore animo se gessit, munerum domesticorum parum sollicita, nec in sua, sed aliena domo se esse, sibi fingebat, in reliquum, ut videbatur, sana. Post mensem, absque præviis adversæ valetudinis signis, denuo, sed multo gravius corripiebatur, singulis fere comparentibus acrotismi signis; frigus, dyspnoea et anhelitus in primis permanebant; nullibi arteriarum ictus percipi potuerunt, nec motus cordis tactu vel auditu explorari; quoties caput extollere conaretur, in defectionem animi delapsa est. Vena secta aliquot tantum nigri sangvinis guttas dedit; clystere ducebatur alvus, parum urinæ mittebatur; sinapismi suris, calida, sicca fomenta lanea fumata pectori et epigastrio imponebantur quæ, licet levia, ponderis pressu

anxietatem augere videbantur; manus in aquam calidam missæ, pedibus ad calidas amphoras positis. Tinctura Valerianæ, quæ forte in promptu erat, intus sumebatur. Hæc ad finem secundi nycthemeri morbi peragebantur, atque in usu Valerianæ nox transacta est. Mane diei sequentis redierant arteriarum brachialium ictus, sed tam exiles, ut non sine negotio perciperentur. Melius tamen meliusque se habere videbatur ægrota, a defectionibus libera, et remittente dyspnœa, adeo ut post meridiem surgere voluerit; quodtamen propositum qui circum erant dissvadebant. Sed licet spes superati mali præsentes occupaverat, ad mediam noctem tertio morbi die syncoptice exspiravit. Mortui corporis investigatio, licet sollicite urgebatur, a marito, alto dolore capto, ut fieri solet a præjudicata opinione devicto, negabatur. Cum sanitatis conditio, qua demortua in vivis utebatur, nobis omnino ignota fuerit, caussam mali ne suspicari quidem liceat, nisi occultus moeror post relictam patriam domum fœminam occupaverit et cor torpidum et paralyticum reddiderit.

Alterum acrotismi exemplum vir circa quinquagiuta annos natus nobis obtulit. Fuit alacrioris ingenii et animi, sed vi temperamenti in vehementes mentis motus pronus. In quintum diem sub pulsuum defectu lecto tenebatur, dyspnœa parum gravi vexatus nec membra frigida comparebant: urgebant vero animi deliquia, quoties caput tollere vel se erigere vellet. Cum una tantum vice ægrotum visitandi nobis locus fuit, nec eorum quæ sub decursu morbi acciderunt, nec antecedentium rationem reddere possumus. Defunctum corpus non exploratum fuit. Forte inflammatio

cordis vel pericardii, cujus tamen signa jam non aderant, mortis caussa exstitit.

Acrotismi exempla, quæ *Morgagni* et veterum alii referunt, notiora sunt, quam ut hic afferantur, quorum vero plura a nobis allatis admodum similia sunt, in primis quod *Good* de exitu *Hunteri* commemorat, licet magis transitorium fuit et a nimia ventriculi, in cor reagentis, sensibilitate ortum. Hoc enim nervi cordis cum aliorum organorum nervis commune habent, ut vel nimia incitabilitate gaudeant, vel media, vel hanc infra, vel etiam nulla, quæ ultima conditio vel ab exhausta incitabilitate, ab exhaustis viribus, quem statum torpor et paralysis sequuntur, vel ex incitamenti defectu, ut notum est, venit.

Quæ de perpetuo, vel per magnam vitæ partem, sine sanitatis detrimento, continuato acrotismo traduntur, fabulosis potius narrationibus, quam veris factis, similiora existimarentur, nisi a fidis viris edita essent. Sic *Morgagni* mulierem Parisiensem commemorat, quæ ab ortu usque sine pulsu fuit, in qua nulla unquam ullius arteriæ, ipsiusque cordis pulsatio, ne post vehementissimas quidem exercitationes, aut in febrium, quibus sæpe obnoxia fuit, maximo calore, percepta fuerit *).

Aliud pulsuum plenarii defectus exemplum, per annos continuati, in fœmina provectioris ætatis, habet medicus americanus. Sub impetu Rheumatismi acuti, cito sine relapsu transeuntis, pul-

*) De sedibus et caussis morborum.

suum expers facta est, manente integra corporis et mentis sanitate. Etiam cum deinde ab enteritide acuta corripiebatur, nullum pulsus vestigium detegi potuit. Cum tandem e vita excesserat, corporis investigatio non permissa fuit *). Saltem a transpositione vasorum hæc anomalia, sub vitam orta, explicari nequit.

Hæc utut se habuerint, meminisse tamen oportet, hominem in morti propinquo periculo versari, cui cordis et arteriarum motus deficiant; systema vasorum aut viscera pectoris vel abdominis gravi morbo correpta esse testatur, qui functionem vitalem, toti organismo communem, suspensam detinet. Si correptus aliquando evaserit, id non aliter haberi debet, quam ut morbus reditum paret, ocius serius prædam capturus.

Cui hoc periculum imminet, illi sobriam, tranqvillam et regularem vitam ducere necesse sit, atque ante omnia animi motus caveat, qui actionem cordis, cui vel maxime parcendum est, intendunt, tandemque nimis incitando cor torpidum et paralyticum reddunt. In reliquum opera medici in hoc collocanda est, ut sedem, caussam et indolem morbi primarii perscrutetur, ad quem levandum, cum tolli non potuerit, derivantia et irritantia externa, setacea, fonticuli, cet. utilia fuerunt. Ipsa natura malum interdum levavit, regulares arthriticos et hæmorhoidales accessus, vel etiam morbos exanthematicos, provocando. Sub ipso vero paroxysmo incitantia volatilia, Ætheres, Tincturæ volatiles, Opium, cet: usui interno sint.

---

*) American Journal of Medicin 1830. Biblioth. for Læger 1831. N. 1.